MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80032-8

AUTHOR:

LEO, FRIEDRICH, 1851-1914

TITLE:

... DE HORATIO AT ARCHILOCHO ...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

[1900]

Master Negative #

91-80032-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Leo, Friedrich, 1851-1914.
...De Horatio et Archilocho scripsit Fridericvs Leo. Gottingae, Officina academica Dieterichiana typis expressit, [1900]
19 p. 24 cm.

At head of title: Ad praemiorvm a qvattvor ordinibvs propositorvm pvblicam renvntiationem qvae fiet die XXX. mensis maii a. MDCCCC... invitant Vniversitatis Georgiae Avgvstae prorector et senatvs.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/8/91   INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Leo
De Horatio et Archi-
locho

AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM
QVAE FIET DIE XXX. MENSIS MAII A. MDCCCC

HORA IV

HVIVS ACADEMIAE CIVES
ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR ET SENATVS

DE HORATIO ET ARCHILOCHO

SCRIPSIT

FRIDERICVS LEO

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
WILH. FR. KAESTNER.

Horatius in iambis exemplum Archilochi eo modo expressit quo Afranius Menandri, non quo Terentius. id quidem ipse dicit, *numeros animosque* Archilochi se secutum esse praedicans, *non res et agentia verba Lycamben*, ut Callimachus ***φέρων ἴαμβον οὐ μάχην ἀείδοντα τὴν Βουπάλειον*** (frg. 90). ipsorum autem carminum species ac forma quatenus ad Archilochi carminum speciem formamque accedat, istis verbis nos non fecit certiores; et quid attinebat narrare lectoribus suis, inventione dispositione compositione iamborum ecquid ab Archilocho differret? nos certe eius aliquid scire potissimum cupimus, qui Archilochi magni poetae umbram persequimur, poetam quaerentes, qui quantus fuerit praeter iudicia antiquitatis et imaginem in Catullo et Horatio relucentem dispersae versiculorum aliquot et vocabulorum admonent voces. totius carminis speciem desideramus; nisi his tandem diebus desiderium illud aut expletum est aut incitatum magis.

Hoc factum est felicitate Reitzensteini[1]) et Hilleri de Gaertringen[2]), quorum alter Aegypti papyrum alter Pari in insula lapidem inventum descripsit et philologis tradidit, uterque propter praestantiam operis et celeritatem editionis omni laude dignus.

---

1) Berichte der Berl. Akad. 1899 p. 857.
2) Athen. Mitth. XXV (1900) p. 1.

atque accidit ut ad Archilochi notitiam multo plus schedulae minutae carminum frustulis contectae contulerint quam titulus spatio conspicuus et ad illius carmina totus pertinens. de cuius tituli versibus Archilocheis primum pauca verba faciam, ut egregii editoris adhortationi obsequar asseverantis scilicet, etiam qui nihil in tituli emendatione profecturus sit, lectioni tamen profuturum.

Demeae igitur annalium Pariorum eam partem, quae de vetustissimis Pari insulae a Graecis occupatae rebus secundum Archilochi poemata referebat, in epitomen redactam olim continebat cum altero nunc amisso lapis quattuor paginis inscriptus, quarum medias duas plane destruxit, primam quartamque misere laceravit aliquot saeculis post homo pretioso saxo in novi sepulcri constructionem abutens. atque prima pagina post Cocrani historiam primo loco positam pro Archilocheis consulto excisis honorem Stertiniae Clitotimae habet insculptum et corona etiam latius patente circumdatam — di illi mortuae. secuntur verba Archilochi carmine insignia, partim feliciter ab Hillero et Wilamowitzio restituta, partim melius reliquis servata:

⟨— — τὰ δὲ χρή-
μ⟩ατα τοὺς Θρᾷκ⟨ας λέ⟩γ⟨ο⟩υσιν Πάριοι ἑαυ⟨τοῖς⟩
ἀποκαθίστασ⟨θαι . . . . .⟩, διασαφεῖ δὲ τ⟨αῦτα πάν-⟩
τα αὐτὸς Ἀ⟨ρχίλοχος λέγων οὕτω· — —

et post 2 lineas fere destructas:

εἶπε . . . . παῖς Πεισιστράτου ἄνδρα⟨ς . . ⟩ω
νω . . . ας, αὐλὸν καὶ λύρην ἀνὴρ ἄγων εἰς Θάσον φ . . .
Θρήιξιν δῶρ' ἔχων ἀκήρατον χρυσὸν, οἰκείῳ[ς]
δὲ κέρδει ξῦν' ἐποίησαν κακά· ὅτι τοὺς Θρᾷκας
ἀποΡΙΓείναντες αὐτοὶ οἱ μὲν αὐτῶν ὑπὸ Παρί-
ων α . . . . λ⟨η⟩στὰς Σάπας ὑπὸ τῶν Θ⟨ρ⟩ᾳ-
⟨κ⟩ῶν. μετὰ ταῦτα e. q. s.

quae fuerit pecunia quam Thraces Pariis reddiderint, Archilochi verba indicare videntur, ut fragmenti primi versus perierint, nova narratio non intercesserit. id si ita est, de reddita pecunia ipsum Archilochi testimonium non descripsit excerptor, ultimam carminis partem breviter circumscribens et quae antea dixerat satis dicta esse confidens. de quorum versuum et sequentium verborum interpretatione non mihi convenit cum Hillero (p. 17 sq.). primum a Pisistrati filio rem narrari non probabile est nec satis probatur litteris ειπε, quas excipit in tabula accurate delineata littera similis τ litterae qualis legitur v. 2 (*αὐτῆς*); probabile igitur est

Archilochum dixisse: *εἴπετο — παῖς Πεισιστράτου.* ergo is est qui viros duxit, non Archilochus. duxit autem viros, non tibiam et lyram. sequitur, inter *ἄνδρας* et *αὐλόν* participium fuisse unde penderet *αὐλὸν καὶ λύρην.* deinde *ἀνήρ* si est filius Pisistrati, sic nomen poni non potest sine epitheto. atque post *Θάσον* haec fere praebet tabula: *ΦΙΣΙ*, in quibus verbum quaerentes operam perdiderunt. iam versus non restituere magis conabor quam indicare quae verborum compositio esse potuerit, de universae lectionis difficultate et incerta multorum ductuum fide indiciis utens ab editore passim indicatis:

εἴπετ' — — παῖς Πεισιστράτου,
ἄνδρας εὖ νωμῶντας αὐλὸν καὶ λύρην ἀνὴρ ἄγων
εἰς Θάσον φυγάς, Θρέιξιν δῶρ' ἔχων ἀκήρατον
χρυσόν· οἰκείῳ δὲ κέρδει ξυνὰ ἐποίησαν κακά.

nempe vir bellicosus etiam musicae operam dabit, ut fecit Archilochus; sed quos audiamus viros lyrae tibiarumque cantus peritissimos fuisse, eos bellicae arti non item studuisse suspicabimur. illi igitur aurum secum tulerunt ut Thracum animos mitigarent et Graecorum hostes sibi conciliarent, proprio scilicet lucro sed malo communi rem gerentes. quos cur aliorum legatos fuisse dicamus nulla causa est: coloni fuerunt in insulam supervenientes Pariis colonis, Teleclidi Archilochove, et occupatam occupaturi. quare quid eis acciderit excerptor narrat; sed aut ipsius aut lapidarii vitio imperfectus traditus est sermo insuper in ipso lapide male habitus. certe id quod est *οἱ μὲν αὐτῶν ὑπὸ Παρίων* (cum verbo) excipere debebat *οἱ δέ* cum verbo altero vel participio a quo penderet *ληστὰς Σάπας.* quibus spatium nullo modo sufficit, ut aliquid intercidisse appareat. praeterea *οἱ μὲν αὐτῶν* post illud *αὐτοί*, ut est scabra oratio, ostendit tamen participium corruptum *ἀποριγείναντες* eam actionem indicasse quae opposita esset rei deinde narratae. de qua re ipsa dubitari non posse videtur, si quidem auro primum Thracum gratiam redemisse advenas Archilochi verba docent; Parios certe Thasi colonos inimicos ab initio habuerunt, sed etiam communes hostes Thracas iterum hostiles experti sunt, cum latrones Sapaeos armis repellere cogerentur. ergo haec fere sententia fuerit verborum duplici triplicive vulnere mutilatorum: *ὅτι τοὺς Θρᾷκας ἀποπραΰναντες αὐτοὶ οἱ μὲν αὐτῶν ὑπὸ Παρίων ἀπώλοντο, ⟨οἱ δὲ, ὅτε ἀπεωθοῦντο⟩ ληστὰς Σάπας, ὑπὸ τῶν Θρᾳκῶν.* fuit igitur hoc primum novorum Thasiorum bellum si non civile at cum Graecis in propria terra depugnatum atque communium malorum primum quae ex tota Graecia in Thasiorum

calamitatem confluxisse conqueritur Archilochus (frg. 52); qualia canentis exemplo potissimum et tractus est et ductus Horatius.

Quae statim secuntur, ultima pars scripturae olim continuo decurrentis (nam quarta lapidis pagina deploranda tantum nobilissimarum reliquiarum ramenta praebet), ea magnum desiderium movent verba sensusque poetae recuperandi. sed sapienter fecisse videtur editor qui verborum vestigia interpretari nolebat. chronographus quidem quae praemittit difficultatem non habent et prima poetae verba speciem saltem facilitatis. ea sic restituit Hillerus, suppletis litteris et correctis aliquot vitiose scriptis:

μετὰ ταῦτα πάλιν γίνεται ἄρχων Ἀμ-
⟨φί⟩τιμος. καὶ ἐν τούτοις διασαφεῖ πάλιν ὡς
ἐνίκησαν παντελῶς τοὺς Ναξίους, λέγων
⟨ο⟩ὕτω· τῶν δ' ΕΑΝΤΥΛ *τῆ⟨ς⟩ Τύχης λαὸς παρασταθείς· ἀ⟨νέ⟩-*
⟨πτ⟩υεν κτύπος.

haec si recte vocabulis discripta sunt, verbum inesse debuerit quale *τῶνδε ἀντιᾷ* (scilicet *τῶνδε λαὸς ἀντιᾷ τῆς τύχης*) et versus incipere ab his: *τῆς τύχης*. sed versum quadratum diaeresi carentem Archilochi ars ignorat ac respuit. versus fiat si dirimas *παραστάς· εἶτ' ἀνέδραμεν κτύπος*, non compositio verborum (*τῶνδε* usque ad *παραστάς*) probabilis vel tota elocutio satis poetica aut Archilocho digna. tamen si talis omnino fuit orationis conformatio, sequentem versum genetivos praebuisse oportet in complementum ultimi nominis quod est *κτύπος*. atque quae in tabula agnoscuntur versu 56 et initio v. 57, ea non plane destituta esse videntur cohaerentium inter se vocabulorum indiciis:

. ‾ΥΕΝΚΤΥΠΟΣ . . . . ΙΝΤΙΩ . ΣΤΕΝΑΙΤΩΝΤΗΣΠΟΛΥ
. . . ΙΛΟ . ΟΣ — —

in fine prioris versus aliquot litterae periisse possunt. conspicere mihi videor *στεναγμῶν τῆς πολυ⟨φθόρου⟩ φλο⟨γ⟩ός*, verba non absona pugnae descriptioni qualem hi versus fortasse continebant. sed ne ista quidem satis certa esse contendo nec fundamentum satis firmum quo ultra proferantur pedes.

Illuc ut redeam, non nihil conferunt hae reliquiae ad argumenta carminum Archilochi, aliquid ad animum et ingenium cognoscenda, ad artem non multum neque ad Horati artem cum Archilocho comparandam. nec mirum quod voluminis Archilochei panniculi quantumvis laceri speciem carminis reddunt magis quam testimonia ad rerum fidem probandam e carminibus desumpta. feliciter autem accidit ut fragmentorum a Reitzensteinio recuperatorum alterum extremam carminis nescimus quam longi partem

tradat; quo fit ut tandem aliquando non integram quidem sed terminatam Archilochi poesin teneamus. ascribam haec quoque, non quo Reitzensteini lectionem ulla ex parte supplere vel emendare valeam, sed quia cum Horatianis ea componere iuvat:

— — — —
κύμ⟨ατι⟩ πλα⟨ζόμ⟩ενος,
κἀν Σαλμυδ⟨ησσ⟩ῶι γυμνὸν εὐφρονέσ⟨τατα⟩
Θρήικες ἀκρό⟨κ⟩ομοι
λάβοιεν (ἔνθα πόλλ' ἀναπλήσει κακὰ
δούλιον ἄρτον ἔδων)
ῥίγει πεπηγότ' αὐτόν, ἐκ δὲ τοῦ ⟨ῥό⟩θου
φυκία πόλλ' ἐπ⟨έ⟩χοι,
κροτέοι δ' ὀδόντας ὡς ⟨κύ⟩ων, ἐπὶ στόμα
κείμενος ἀκρασίηι
ἄκρον παρὰ ῥηγμῖνα κυμάτω⟨ν δ⟩μοῦ·
ταῦτ' ἐθέλοιμ' ἂν ἰδεῖν,
ὅς μ' ἠδίκησε λ⟨ὰ⟩ξ δ' ἐφ' ὁρκίοις ἔβη,
τὸ πρὶν ἑταῖρος ἐών.

haec quin Archilochea essent non dubitabat Reitzensteinius atque Hipponactis alicuius nomen cum aliis poetae inimicis in altero fragmento commemoratum etiam certius ostendere ei videbatur hos versus non Hipponactis esse. iure ut opinor, nec inveni in Blassii adnotatione (mus. Rhen. LV 102) argumenta ad contrariam sententiam evincendam idonea. facete ille *παλ* initio sequentis carminis ascriptas litteras *Βούπαλον* significare coniecit, sed non dicam quot alia fuisse potuerint. certe ut comprobetur talem carminis artem ab Hipponacte non alienam fuisse, firmioribus opus est adminiculis quam praebent fragmenta nomini eius tradita a Bergkio 90 sq. de pulcritudine carminis, si quis in his vim et animum Archilochi se non sentire dicat, non pugnabo; nec sentio eam sermonis duritiem quam Blassius dicit, praeter asperam sane parenthesin v. 5, qua quae in longa captivitate futura sint praedicuntur antequam naufragii miseriae describantur. sed haec quoque recte interpretatum esse Reitzensteinium arbitror, qui *ῥίγει πεπηγότα* non cum antecedente nomine coniunxit, sed ipsum pronomen *αὐτόν* repetitam quasi et iterum correptam inimici personam indicare iudicavit. nempe sermonem quasi perfecerat poeta: *γυμνὸν λάβοιεν· ἔνθα πόλλ' ἀναπλήσει κακά*, deinde non satisfecisse se odio suo sentiens ad naufragum tamquam ultro abreptus redit eiusque aerumnis depingendis immoratur, donec videre eas videatur vel certe quae futura ut videat optare possit. ita fit ut

intercalati sermonis speciem induerint ista: *ἔνθα πόλλ' ἀναπλήσει κακὰ δούλιον ἄρτον ἔδων.* quae verba Archilochi non Hipponactis esse vel inde consequi videtur quod Aeschylus locutione utitur hinc deprompta (Agam. 1040): *καὶ παῖδα γάρ τοί φασιν Ἀλκμήνης ποτὲ πραθέντα τλῆναι δουλίας μάζης βίον* (traditum *βία*).

Huius igitur carminis memorem Horatium decimum epodorum carmen composuisse non fugit Reitzensteinium (p. 861). quod si *numeros animosque* Archilochi se secutum esse Horatius autumat, *non res*, hoc carmen docere potest quam arte animus poematis cum re coniunctus sit; carminis Archilochei affectus ab argumento seiungi non potest, quod non est devotio inimici cuiusvis sed eius qui amicitiae foedus periurio ruperit: *πρὸς γὰρ τοὺς συνήθεις καὶ φίλους ὁ θυμὸς αἴρεται μᾶλλον ἢ πρὸς τοὺς ἀγνῶτας*, ut Aristoteles ait (polit. p. 1328) ac pergit: *διὸ καὶ Ἀρχίλοχος προσηκόντως τοῖς φίλοις ἐγκαλῶν διαλέγεται πρὸς τὸν θυμόν· τί* (*οὐ* codd.) *γὰρ δὴ περὶ φίλων ἀπάγχεαι*; (frg. 67). talem affectum exprimere scivit Catullus, et lectione Archilocho coniunctus et ingenii vena cognatus et similia expertus; eius poematia XXX LXXIII LXXVII XCI in amicitiae perditae querimoniis Archilocheum aliquid sonant. Horatius ab hoc quidem affectus genere alienus fuit; certe Archilochei carminis argumentum ita immutavit ut *olentem Mevium*, *γράσου πνέοντα φῶρα*, diversae sectae poetam, propemptico malevolo insectaretur atque ne verbo quidem tam gravis odii causam indicaret. quo quantopere vis carminis elevetur non Archilochus tantum et Catullus docere possunt, sed Properti quoque propempticon (I 8) quo amicae cum aemulo navigaturae bona omnia imprecatur. retinuit ex Archilochi carmine Horatius periculorum quae inimicum oppressura essent vividam imaginem, sed ad mortem naufragi traduxit. compensavit inventionem artificiosa argumenti dispositione, qualem in Archilochei carminis ne priore quidem parte valuisse servata fidem faciunt. primum versiculorum par propositionem habet, incipit statim devotio, singulis periodis tres ventos inferens, quorum primus fluctus incitare, secundus rudentes remosque, tertius (*Aquilo quantus altis montibus frangit trementes ilices*) malum frangere debet. tres periodos alteri tres excipiunt terrorem exemplo fabulari augentes, secuntur item tres cum imaginatione extremi laboris et clamoris quartum ventum praebentes qui carina rupta navem pessum dabit. denique v. 21—24 votum nuncupat. hic certe si secutus non assecutus est animum Archilochi Horatius, qui detrimentum irae ac truculentiae deliberato verborum pondere ac subtilitate refecit.

Artius quam in hoc carmine factum est Horatium in aliis se

ad materiem ab Archilocho oblatam applicuisse comprobari non potest. secundi carminis inventio pendet quidem ab Archilocho, sed Charo faber factus est *faenerator Alfius* et oratio Vergilianis coloribus depicta. nullum omnino est in hoc libro carmen quod ut est ab Archilocho sumptum esse possit nec certa signa originis Romanae ferat, praeter VI et XII, illud invehens in inimicum proprium (ut IV in publicum) et resonans Archilocheum illud *ἓν δ' ἐπίσταμαι μέγα, τὸν κακῶς με δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι κακοῖς*, hoc in mulierem obscenam (ut VIII), cuius notationem a Philemone mutuatum esse Horatium alibi ostendi. haec et alia carmina invectiva, *truces iambos* Horati, si spectamus, dubitamus quam idoneum sibi auctorem Archilochum delegerit, *παθητικώτατον* scilicet ipse *irasci celer, tamen qui placabilis esset*, *ἤθους* plenum pectus habens, *πάθους* non item. in hoc genere Lucilius certe et Catullus magis Archilochei fuerunt quam Horatius. contra Archilochi publica mala querentis, *ὡς Πανελλήνων ὀιζὺς ἐς Θάσον συνέδραμεν*, et *τὴν τρὶς οἰζυρὴν πόλιν* deplorantis vel etiam, ut nunc comperimus, victoriae navalis gloriam referentis animos carminibus pulcherrimis aemulatus est. carmina dico XVI, VII, IX. in his sunt verae sollicitudo indignatio cura, haec ostendunt qui ingenii vitaeque impetus Horatium ad Archilocheae musae societatem compulerit. atque plane Romana sunt, nihil habent praeter numeros quod auctori graeco debeatur, nam animos ipsa Musa aspiravit. sed hoc commune habent carmina VII et XVI, ut vates in publica causa populum adloquatur tamquam arbiter ductorque; id quidem ad Archilochi proprie poesin aevumque pertinet. carminis autem IX ea condicio est ut amicos post pugnam in navi pernoctantes poeta compellet, similis Archilochi nobilis elegiae *ἀλλ' ἄγε σὺν κώθωνι θοῆς διὰ σέλματα νηὸς φοίτα* (frg. 4).

De horum carminum interpretatione quae dicenda videantur nunc praetermittam, ne a proposito longius abducamur. hoc tantum dicam, carmen XVI ab initio iambico, simillimo carminis VII, abire in elegiae speciem. sane elegiaco tenore etiam in carmine II fortunata agricolarum vita decantatur, sed ut ultimi versus iambici generis colorem toti poemati reddant; hic (XVI 41 sq.) post orationem, consilium, ius iurandum iam deduci se patitur mentemque totam occupari beatae vitae blanda imagine poeta, arte elegiis consueta, quae quam apta fuerit iambico generi dubitamus. accedit ut metrica carminis forma elegiae proxima sit. quae observatio ad carmen XI paulo accuratius considerandum nobis transitum parabit.

Etenim poemation non habet speciem partemve elegiae, sed

est plane elegia iambis concepta. res satis memorabilis et quae exponatur digna. sic igitur incipit:

Petti, nihil me sicut antea iuvat
scribere versiculos amore percussum gravi,
amore qui me praeter omnes expetit
mollibus in pueris aut in puellis urere.

amico confitetur iam taedium se cepisse iamborum scripturae propter Amorem huc illuc se trahentem. meminimus Catulli ad amicum scribentis *tota de mente* se fugasse *haec studia* propter fratris mortem, sed item Archilochi qui affinem deplorans ait *καί μ' οὔτ' ἰάμβων οὔτε τερπωλέων μέλει* (frg. 22); nec dubito quin Catullus Archilochi memor ad Allium elegiam composuerit. iste fortasse versiculus est quo cum Archilochi poesi carmen Horati cohaeret; ipsum Archilochi carmen et argumento et animo ab Horatiano diversum fuisse apparet. Horatius amorem praetendens, qui se vetet *inceptos iambos ad umbilicum adducere* (XIV 7), quasi inconsulto ad argumentum amatorium exordiendum delabitur:

hic tertius December ex quo destiti
Inachia furere silvis honorem decutit;
heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,
fabula quanta fui, conviviorum et paenitet
in quis amantem et languor et silentium
arguit et latere petitus imo spiritus.

mentio veteris furoris in memoriam illarum miseriarum poetam abripit. *pudet et paenitet* artificiose copulata sunt, ut *tanti mali*, id est rumoris per urbem vulgati, causam convivarum sermones fuisse indicetur; ut Propertius queritur III 25, 1: *risus eram positis inter convivia mensis et de me poterat quilibet esse loquax*, vel Tibullus convivam appellans (I 2, 87): *tu qui laetus rides mala nostra.* sodalibus qualia signa amantem prodant notum est ex elegiis et litteris elegiarum argumenta reddentibus. nobile est epigramma Callimachi (43):

ἕλκος ἔχων ὁ ξεῖνος ἐλάνθανεν· ὡς ἀνιηρόν
πνεῦμα διὰ στηθέων (εἶδες;) ἀνηγάγετο,
τὸ τρίτον ἡνίκ' ἔπινε, τὰ δὲ ῥόδα φυλλοβολεῦντα
τὠνδρὸς ἀπὸ στεφάνων πάντ' ἐγένοντο χαμαί·
ὤπτηται μέγα δή τι· μὰ δαίμονας οὐκ ἀπὸ ῥυσμοῦ
εἰκάζω, φωρὸς δ' ἴχνια φὼρ ἔμαθον.

sic Tibullus (I 8, 1 sq.) non celari se posse dicit quae ipsa Venus se perdocuerit vel nutrix in Ciri carmine 242: *nam te iactari non est Amathusia nostri tam rudis ut nullo possim cognoscere signo.*

habes istic *latere petitum imo spiritum*, alia signa in Asclepiadis epigrammate A. P. XII 135, cuius exemplum Callimacho obversatum esse ultima Asclepiadis verba cum Callimacho comparata docent (cf. Kaibel Hermae XXII 511):

οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος· ἐρᾶν ἀρνεύμενον ἡμῖν
ἤτασαν αἱ πολλαὶ Νικαγόρην προπόσεις·
καὶ γὰρ ἐδάκρυσεν καὶ ἐνύστασε καί τι κατηφές
ἔβλεπε χὠ σφιγχθεὶς οὐκ ἔμενε στέφανος.

hic cum ploratu (*adplorans* v. 12) *languor et silentium* amatoris indicantur potantis scilicet, *occupet ut fessi lumina victa sopor*, ut facit Tibullus I 2 et Simalio Alciphronis I 35, 2: *καίτοι γε ᾤμην τὸν ἄκρατον ἔσεσθαί μοι παρηγόρημα, ὃν παρ' Εὐφρονίῳ τρίτην ἑσπέραν πολύν τινα ἐνεφορήθην, ὡς δὴ τὰς παρὰ τὴν νύκτα φροντίδας διωσόμενος. τὸ δὲ ἄρα ἐναντίως εἶχεν· ἀνερρίπισε γάρ μου τὴν ἐπιθυμίαν ὥστε κλάοντά με καὶ βρυχώμενον ἐλεεῖσθαι μὲν παρὰ τοῖς ἐπιεικεστέροις, γέλωτα δὲ τοῖς ἄλλοις παρέχειν.* languorem occulti amoris potissimum indicium facit Lucianus de dea Syria 17: *ἔρωτος δὲ ἀφανέος πολλὰ σημήια· ὀφθαλμοί τε ἀσθενέες καὶ φωνὴ καὶ χροιή, καὶ δάκρυα.* rem in elegiam e comoedia pervenisse ostendi quaest. Plaut. p. 130 Antiphanis versu adhibito; in poesi amatoria ubi post saeculum quartum comparet, ad elegiam referendam esse constat. — iam apud coniunctissimum sibi sodalium Pettium proditi semel amoris amara omnia quibus verbis elocutus sit reminiscitur:

'contrane lucrum nil valere candidum
pauperis ingenium' querebar adplorans tibi,
simul calentis inverecundus deus
fervidiore mero arcana promorat loco.

amator ut iuvenis in fabula Phaedri Perottiana XIV 25 *inter sodales paucos accubans amorem crebris avocabat poculis* vel ut Tibullus I 5, 37 *temptavit curas depellere vino, at dolor in lacrimas verterat omne merum* sive ut Paris in epistula Ovidiana v. 231 *mero volui flammam compescere, at illa crevit et ebrietas ignis in igne fuit.* argumentum est nobilium elegiarum Properti III 17 et Tibulli I 2, quod ex quo fonte manaverit Alciphronis epistulae modo exscripta verba docere possunt vel Meleagri epigramma A. P. XII 49

ζωροπότει, δυσέρως, καὶ σοῦ φλόγα τὰν φιλόπαιδα
κοιμάσει λάθας δωροδότας Βρόμιος·
ζωροπότει, καὶ πλῆρες ἀφυσσάμενος σκύφος οἴνας
ἔκκρουσον στυγερὰν ἐκ κραδίας ὀδύναν.

Archilochus quoque curas vino depellere cogitabat, *οἴνῳ καὶ παιδιᾷ*

πρὸς τὴν λύπην μάχεσθαι διανοούμενος (Plut. de aud. poet. 33[b]), sed non amoris curas. aliquot saeculis post Homericum *ζωρότερον κέραιε* (I 203) primum ad convivia comica rettulerunt, ut ostendit Athenaeus X 423[d], deinde ad amatoria. inde illud *adde merum* et *ζωροπότει*, quod ad infelicis amoris dolorem compescendum proprie referri solet. quam probe recordetur eam locutionis originem Horatius, ipsum *fervidiore* docet; quo vocabulo electo eorum interpretationem sequitur qui *ζωρότερον οὐκ ἄκρατον σημαίνειν φασὶν ἀλλὰ θερμόν, ἀπὸ τοῦ ζωτικοῦ καὶ τῆς ζέσεως* (Athen. l. s., Plut. quaest. conv. 677[e]) vel potius eorum qui *τὸ θερμὸν καὶ ἄκρατον* coniungunt, *παρὰ τὸ μηδέπω ἐσβέσθαι τὴν ἰσχὺν τοῦ οἴνου ὑπὸ τῆς τοῦ ὕδατος κράσεως* (schol. A); nam nobilis quaestio est de vocabuli significatu. sic igitur incitatus amator non quidem, ut fit, malorum obliviscitur, sed effatur amico quae propter paupertatem sibi patienda sint. haec quoque qua via ad Horati iambos pervenerint facile apparet. pauperis amatoris sollemnis est persona in comoedia attica: *scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam* (Pl. Pseud. 695), *amans egens qui ingressus est princeps in Amoris vias* (Pers. 1), et quae in plerisque comoediis non enuntiantur tantum sed argumenti et inventionis praecipuam partem faciunt. inde in elegiam res concessit, nec magis poetae amatorio contingere potest ut pecuniosus amator sit et cum milite vel mercatore divite certans puellae favorem opibus donisque conciliet quam adulescentulo comico. elegiaci autem poetae eo potissimum nomine conqueri solent de temporum puellarumque nequitia, quod diuitiae plus quam versiculi, ineruditorum hominum aurum plus quam poetarum ingenium valeat: *Pieridas, pueri, doctos et amate poetas, aurea nec superent munera Pieridas* Tibullus (I 4, 61), *ei mihi, non multum carmen honoris habet; carmina laudantur, sed munera magna petuntur: dummodo sit dives, barbarus ipse placet. ipse licet venias Musis comitatus, Homere, si nihil attuleris, ibis Homere foras* Ovidius (art. II 274), *aurum spectato, non quae manus adferat aurum: versibus auditis quid nisi verba feres? qui versus, Coae dederit nec munera vestis, istius tibi sit surda sine aere lyra* lena Properti (IV 5, 53), et non ab istis verum ab eorum auctoribus pendens Aristaenetus (I 14): *οὔτ' αὐλὸς ἑταίραν οἶδε προτρέπειν οὔτε λύρᾳ τις ἐφέλκεται πόρνας ἀργυρίου χωρίς· κέρδει μόνον δουλεύομεν, οὐ θελγόμεθα μελῳδίαις —. ἦ ταῦτα μὲν ἴστε που πάντως ὡς ἀνάργυρον οὐδὲν ταῖς ἑταίραις ἐστὶ πιθανόν.* pauca ex multis, ad comprobandum cuius haec generis propria sint satis. vino elatus amator intellegit forti animo et iracundia efficaci sibi opus esse, non querellis et lacrimis:

quod si meis inaestuet praecordiis
libera bilis, ut haec   ingrata ventis dividat
fomenta volnus nil malum levantia,
desinet imparibus   certare summotus pudor.

imparem se sentit puellae superbae et aemulo diviti, ergo una in secessu salus. non casu factum ut haec ex Propertio potissimum illustrare liceat, qui I 1, 27 *fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes, sit modo libertas quae velit ira loqui,* III 17, 41 *tu modo servitio vacuum me siste superbo*, II 5, 9 *nunc est ira recens, nunc est discedere tempus* vel in discessu ipso puellae nuntiato III 24, 17 *nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu vulneraque ad sanum nunc coiere mea.* servitium est amatorium: *non ego me vinclis verberibusque nego* Tibullus (II 3, 80), *hic mihi servitium video dominamque paratam: iam mihi, libertas illa paterna, vale* (II 4); utile esse Ovidius *publicus assertor* ait (rem. 53) *extinguere flammas nec servum vitii pectus habere sui*, fortia verba amantis sunt qualia servi vincla sua excutientis (Tib. I 5). haec quoque amatoris persona identidem meretricis iniurias passi semperque acriore amoris vi ad easdem foras retracti unde in poesin amatoriam devenerit, adulescentes Menandrei et Menandreorum similes comprobant in Eunucho Bacchidibus Asinaria Truculento. nam quam vanum tum fuerit libertatis et iracundiae desiderium, in memoriam revocare Pettio poeta pergit:

ubi haec severus te palam laudaveram,
iussus abire domum   ferebar incerto pede
ad non amicos heu mihi postes et heu
limina dura, quibus   lumbos et infregi latus.

speciem aliquam et simulacrum adsumpserat severitatis; sic domum se abiturum promiserat amico iubenti, sed invitus ad puellae fores redibat. similis reditio fingitur in Tibulli carmine I, 2, cuius inventio tota huius Horatiani commonet. de ianua autem, quae ipsa ad arbitrium adventores admittit vel excludit et ab infelicibus amatoribus increpatur ob malignitatem, verbum non addam; quomodo argumentum in nova comoedia excultum ad elegiam permanaverit nuper indicavi[1]). haec igitur prius fuere:

nunc gloriantis quamlibet mulierculam
vincere mollitie   amor Lycisci me tenet;
unde expedire non amicorum queant
libera consilia   nec contumeliae graves,

---

1) Gött. Gel. Anz. 1898 p. 748.

sed alius ardor aut puellae candidae
aut teretis pueri longam renodantis comam.

sane gravi amore percussus est poeta, tali qui nullo consilio vivere eum doceat (Prop. I 1, 6). Lycisci amor quam sit fugiendus, amicorum liberis verbis suadentium et obiurgantium si credere velit, satis sciat; sed expertus confirmat non liberatum se iri nisi novo amore, qui ut primus non fuerit ita finis non erit. *amicorum libera consilia* saepe frustra ab Amoris ludo et nequitia abducere temptant amatorem. eos advocat Propertius in carmine primo: *vos qui sero lapsum revocatis, amici*, et meminit eius advocationis in amatoriorum librorum carmine ultimo: *quod mihi non patrii poterant avertere amici*. per primum Properti librum numerus amicorum in lectorum notitiam venit qui vario modo poetae amorem turbant; ad utiliorem vitae cursum Tullus eum revocare studet, cui ut insanabili morbo correptus se excusat: *me sine, quem semper voluit Fortuna iacere, hanc animam extremae reddere nequitiae* (6, 25). ipsi Tullo ultimum libri carmen ascriptum est, *pro nostra semper amicitia*, Gallo tertium a fine *pro continuo amore*. videmus non sine ratione in huius libri initio amicorum mentionem Propertium iniecisse. amici autem poetae in elegia proprium locum habent inde ab elegiae initiis, ut quae in amicorum coetu convivali orta et exculta originis suae signa numquam deposuerit. in elegia amatoria sodales amoris morbo non correpti ac sanae mentis compotes mederi amico aegrotanti cupiunt consiliis suis, ut est in illis Properti (I 1, 25):

aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
quaerite non sani pectoris auxilia:
fortiter et ferrum saevos patiemur et ignes,
sit modo libertas quae velit ira loqui.

medicorum igitur loco amicos habiturus est, ut utrosque componit Horatius epist. I 8, se non recte vivere dicens quia *mente minus validus quam corpore toto* fidis offendatur medicis, irascatur amicis. sic in Mercatore secundum Philemonem amico propter amorem insaniente Eutychus ait (v. 951) *hic homo non sanust*, insequitur ille: *medicari amicus quin properas mihi?* et Menander (Stob. 113, 14) *τῷ μὲν τὸ σῶμα διατεθειμένῳ κακῶς χρεία 'στ' ἰατροῦ, τῷ δὲ τὴν ψυχὴν φίλου*. nimirum in comoedia nova hoc aequalium et sodalium cum amatore commercium quam multum valeat manifestum est (cf. quaest. Paut. 115); et cum soleant adiutores esse sodales egentis amici, accidit etiam ut non senex tantum senem, quod fieri solet, sed adulescens adulescentem a nequitia ad bonam fru-

gem retrahere et consiliis liberis et gravibus contumeliis studeat. quae est Trinummi Plautinae, id est item Philemonis comoediae, argumenti magna pars. ergo hanc quoque excultam e comoedia personam recepit elegia. sed in gravi amore nihil proderit lenis medicina; Horatius quidem satis compertum habet se tale tantum remedium ex Lycisci amore expediturum esse quod ipso morbo non sit salubrius; nec sine consilio carmen XIV, tempore non admodum ab XI remotum, his verbis terminat: *me libertina nec uno contenta Phryne macerat*. hoc quoque est inter remedia amoris, ut amor quo quis liber esse velit alio amore expellatur. Ovidius remediorum v. 444, ubi ut pariter binas amicas habeant hortatur: *alterius vires subtrahit alter amor*, deinde v. 462 *successore novo vincitur omnis amor*, ut Agamemno Briseida *habuit solacia magna prioris, et posita est cura cura repulsa nova* (483). tales sunt in comoedia adulescentes prioris amoris obliti et efficacis remedii testes: *illam amabam olim, nunc iam alia cura impendet pectori* (Plaut. Epid. 135).

Demonstratum est ut opinor quod praedicavi hoc poema plane elegiam esse iambis compositam. demonstratum certe est quod ad materiem et argumentum attinet; sed etiam inventio carminis elegiam decet. vetusti amoris commemoratio est ad amicum ab amatore missa, velut Catulli ad Alliam epistula. sed ut redeat unde digressa est oratio: si quaerimus quid haec disputatio de adfinitate Horatium inter et Archilochum intercedente nos doceat, dicendum quidem est Archilochum quoque elegias cecinisse. sed eum tenuimus disputationis cursum ut quae res esset manifestum fieret. nempe quae huic carmini materiem praebuit non est Archilochea neque omnino vetustior elegia, sed ea quam novelli poetae et alii et Alexandrini excoluerunt, argumenta praeter alia comoediae Atticae novae usurpantes; comici autem poetae non ab Archilocho pendebant sed ipsam vitam cum adulescentium Atticorum et puellarum peregrinarum amoribus exprimebant. ergo id quoque comprobatum est, neotericae elegiae materiam in huius carminis usum Horatium vocavisse.

Tamen quin elegiae nomen ei detur non tantum numeri Archilochei obstant. habet elocutio poematis aliquid ab elegiae genere alienum et iambico proprium, admixta scilicet verba et locutiones communi et cottidiano sermoni propiora. velut in elegia vix dixisset Horatius *latere petitus imo spiritus* vel *lumbos et infregi latus* vel *quamlibet muliercularn*. quod si quis periculum facere velit mutandi carminis speciem ut ad elegiae formam traducat, multa saepe verba in paraphrasi commutare debeat. at ne

sic quidem arti satis faciat si quis versus versibus exaequare instituat; nam elegiam in tali argumento sermo prolixior et vagans latius per memoriae spatia inventio decebit.

Alterum carmen vere amatorium inter epodos XV amatorem ostendit libera bili incitatum et id ipsum Neaerae comminantem quod frustra ut auderet olim in Inachia desideraverat. scilicet haec quoque puella divitem pauperi praefert, sed non laturum se esse poeta et aliam sibi quaesiturum praedicat. hic igitur aliquid simile irae Archilocheae in puellam et aemulum enuntiatur, sed nihil tam acre ut *Lycambae spretus infido gener* in memoriam legentibus revocetur. immo talium potius elegorum carminis spiritu admonemur, in quibus poeta abiturum se a perfida puella profitetur minime abiturus. ita quasi mitigantur animi puellam periuram devoturi pulcra descriptione periurii et affectus amatorii recordatione quo in periurio ipso faciendo tunc puellam commoveri meminit. aemuli deinde sortem futuram deplorat magis quam ut ultionem ei exitiumque denuntiet. haec quoque in elegia frequentata sunt, notus praeter alia Tibulli locus I 5, 69 sq. videmus quid factum sit: Archilochei characteris acrimonia in argumento ab ea nequaquam alieno elegiae amatoriae leniore ingenio temperata est.

Illud quoque intellexisse iuvat, Horatium, cuius animum a poesi neoterica alienum fuisse scimus, aut adulescentem aut eo certe tempore, quo inceptos olim iambos ad finem perducere cogitabat, elegiis recentiorum poetarum legendis operam dedisse. Tibulli enim aut Properti carmina tunc temporis in publicum nondum prodierant.

Numeros Archilochi se secutum esse Horatius profitetur; scilicet ut Ennius Homeri; versuum genera ab Archilocho recepit et multa etiam secundum eius normas in versibus formandis, qui *timuit mutare modos et carminis artem*, minime omnia item ut ille administravit. qua de re quaedam disputaverunt Meinekius in praefatione Horati, Christius et Guilelmus Meyer in nobilibus commentationibus de Horati arte metrica[1]) et de accentu verborum[2]). multae cum hoc argumento quaestiones cohaerent de arte Archilochi, de ratione Horati in ea exprimenda, quatenus in ipso poeta artis leges quaesiverit vel a poetis Romanis anterioribus inventa probaverit vel doctrinae metricae praeceptis paruerit; namque haec omnia in Horati artem aliquid valuisse satis constat. ego quae huc pertineant pauca et obiter perstringam. atque hexametros

1) Berichte der Bayer. Akad. 1868 p. 5.
2) Abhandl. der Bayer. Akad. 1884 p. 114.

quidem versus colis epodicis excipiendos in propatulo est non ex Archilochi norma Horatium struxisse, in cuius versibus ut in trimetris regnet caesura semiquinaria. in iambis multa sunt ad Archilochi normam instituta, velut binarum in arsi brevium syllabarum usus, quo abstinet Catullus (praeter 37, 5); bisyllaba sic posuit tantum *modo* (2, 23) *ubi* (2, 67; 5, 91) *ego* (15, 24), non *venena maga* 5, 87 (sed fortasse *magica*), sed ea de causa *quĭs* 11, 9, quod ceterum in lyricis vitavit, et *repostum* 9, 1 (repositum *ABCR*) in carmine quod omni solutione caret; qua de forma infra aliquid dicendum erit. solutam bis in uno versu arsin habet 5, 15; 17, 74 *vectabor umeris tunc ego inimicis eques*, ter 17, 12 *alitibus atque canibus homicidam Hectorem*, utrumque in carmine trimetris versibus composito, qui et liberiorem et severiorem artem prae se ferunt. nam in hoc carmine Horatium se legi Porsonianae in formando versuum exitu astrinxisse Meinekius p. XXXVIII observavit. quam cum in reliquis trimetris non tam saepe migraverit, miram differentiam fecit et ab Archilocho alienam inter trimetros et dimetros. velut in II legem Porsonianam neglegunt trimetri tres (v. 13. 33. 47), dimetri sedecim, in V trimetri tres (17. 19. 93), dimetri viginti duo tresve. simili modo omnino in thesibus formandis dimetros a trimetris distinxit. nam cum a Catullo[1]) trimetros puros receperit in carmen XVI aliis non admissis, in reliquis carminibus subinde aliis immiscuerit (ut 1, 3. 13. 15. 17. 23. 31; 2, 1. 7. 41; 4, 3. 5. 9. 17), puros dimetros fecit quinque tantum 2, 50; 3, 12. 18 (in carmine quod trimetrum purum nullum habet); 7, 20; 14, 10. cum Catulli trimetris puris coniuncta est licentia, quae est licentia in versibus latinis, vocabuli iambici vel in iambum exeuntis ante ultimum versus iambum positi. qualem versus exitum ut Archilochus et Graeci non vitarunt ita ne Horatius quidem, sed vitavit in XVII formam (nam ad eam non pertinent v. 40. 50. 77) quae frequens est in XVI; praeterea in II VI VII nullum, in III et XI singula exempla habet, plura in reliquis; sed in dimetris duo tantum: 2, 34 (cf. 50) et 7, 20, id est in carminibus quorum trimetri talem exitum non admiserunt. accedit 3, 6 et in asynartetis 11, 26. ab Archilocho aliena est talis distinctio, qui iuxta posuit *ὦ Ζεῦ, πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος* et *ὕβρις τε καὶ δίκη μέλει* (frg. 88) et *πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε* et *ἀστοῖσι φαίνεαι γέλως* (94). etiam praeter hanc exitus normam dimetrorum metra secunda raro a brevi thesi incipientia facit, scilicet viciens in 226 dimetris; omnium dimetrorum secunda metra longam in initio syllabam habent carminum IV. VI.

1) Abhandl. der Gött. Ges. d. W. N. F. I 7 p. 70.

VIII. IX. X, brevem carminis V dimetri duo (56. 70), carminis I unus (32), cum trimetrorum ultima metra in V triginta, in I duodecim a brevi incipiant (sed ratio est 6 : 11 in II, 4 : 5 in III). haec et talia non ex Archilochi regula Horatium instituisse fragmenta quantumvis rara demonstrant; sed ad aliquam metricorum doctrinam ea referre vix licebit.

Licet, nisi me opinio fallit, alius observationis vel licentiae in Horati iambis comparentis rationem indagare. duas breves a thesi syllabas Horatius ut debuit arcebat; sed admisit quinquiens:

2, 65 positosque vernas, ditis examen domus.
5, 69 priusque caelum sidet inferius mari.
11, 23 nunc gloriantis quamlibet mulierculam.

et bis in uno versiculo 2, 35:

pavidumque leporem et advenam laqueo gruem.


horum versiculorum primus e numero exemptus erit. ubi e codice Reginae *postosque*, quod priore manu scriptum exhibet, receperimus; quod fecit Kellerus. atque si secure facere liceret, codicis auctoritatem non requireremus. sed licet *repostum* ab Horatio admissum esse viderimus, *postos* non continuo sequitur ut ab eodem admissum sit. illud Ennius hexametro versui concessit et ab eius auctoritate poetae recipiebant; formas hexametro aptas praeter Lucretium rarissime usurpabant, non quo ipsa lingua syncopam respueret (certe in Catonis rusticis tradita sunt *expostum, composturae, posturus*, cf. Keilius comm. p. 164), sed quia parum poetica videbatur. ante Aeneidem Vergilius unum *repostae* admisit georg. III 527, hoc etiam recentiores poetae saepius reliquis verbis (cf. Neue-Wagener III 533 sq.), *postus* ex vetustis unus Lucretius; ipse Ovidius *templorum positor, templorum sancte repostor* sibi licere existimavit; Horatius nihil istorum praeter *repositum* illud, ipsum non prorsus certum, et, si scripsit, *postosque vernas*. versus 2, 35 quin coniunctis thesibus bisyllabis et arsi consulto animalium celeritatem per verborum sonitum exprimat, dubitari non potest. sed hic quoque *pavidum* eius generis nomen est a quo non alienam fuisse pronuntiationem ex tribus syllabis duas facientem Catulli docet illud *o miselle Ravide* (40, 1) et alia ab aliis identidem conlata. item *laqueo* componi potest cum vocabulis in versu synizesin patientibus *alveo aureo saxeo*. sed et *pavidum* bisyllabum exemplo caret et *laqueo* a brevi incipiens non tam facile quam illa contrahatur. restant *inferius* et *mulierculam*, quae si quis contracta efferre velit, et Vergiliana et Horatiana (*vietis* in epodis) simili modo coalescentia vocabula satis nota nec admodum pauca comparare possit. atque de synizesi Meinekius cogitavit (praef. XXII).

Haec omnia eius generis sunt ut Horatium vocabula contraxisse non credamus nisi coacti; sed ita comparata omnia ut ambigui aliquid inhaereat et incerti simus utrum vocabulorum pronuntiandorum an versuum fingendorum licentiam poeta praeoptaverit. ad similem in pari causa ambiguitatem vel dubitationem pertinent quae verba Hephaestio facit de Archilochi versu prosodiacum et ithyphallicum colon non conexa coniungente p. 49, 22 W.: *ὑπονοήσειε δ' ἄν τις καὶ τρίτην διαφορὰν εἶναι τῷ Ἀρχιλόχῳ πρὸς τοὺς μετ' αὐτόν* (praeter diaeresin neglectam et secundum spondeum vitatum), *καθ' ἣν ἀναπαίστῳ δοκεῖ τῷ πρώτῳ χρῆσθαι·*

ἐρέω, πολὺ φίλταθ' ἑταίρων, τέρψεαι δ' ἀκούων.
φιλέειν στυγνόν περ ἐόντα μηδὲ διαλέγεσθαι.

ᾧ οὐκ ἐχρήσαντο ἐκεῖνοι· φαίνεται δ' οὐδ' αὐτὸς κεχρημένος· δύναται γὰρ ἀμφότερα κατὰ συνεκφώνησιν εἰς ἴαμβον παρίστασθαι. ἡ δὲ τοῦ ἀναπαιστικοῦ φαντασία γέγονε διὰ τὴν ἰωνικὴν ἐν ἑκατέρῳ διαίρεσιν· ὥστε τὰς προειρημένας δύο μόνας διαφορὰς εἶναι τοῖς νεωτέροις πρὸς τὸν ἰαμβοποιὸν Ἀρχίλοχον. non rem tantum manifestam edocemur, sed hoc quoque per operosam Hephaestionis argumentationem comperimus, inter metricos disputatum esse, num anapaestica essent *ἐρέω* et *φιλέειν*. de iambicis disserens Hephaestio in enchiridio hanc quaestionem praetermittit, adnotasse contentus anapaestum esse *παρὰ τοῖς ἰαμβοποιοῖς καὶ τραγικοῖς σπανιώτερον* (p. 17, 9). nam quaesitum illic quoque oportuit an in talibus qualia sunt *ἐρέω τιν' ὑμῖν αἶνον, παῖδ' Ἄρεω, Λεπτίνεω πάι, ἀλώπηξ κερδαλέη* anapaestos iambis poeta admiscuisset; cuius quaestionis solutio eisdem prorsus verbis reddi debebat quibus de inconexis quaestionem solvit. ergo in his Archilocheis inerat ambigui aliquid, specie et scriptura anapaesticum, re et pronuntiatione iambicum, quod oculis legenti scilicet anapaesticum videri deberet, ore praelegenti iambicum esse appareret. quod si Horatium metricorum librorum lectorem hanc ipsam ambiguitatem imitari voluisse contendo, cum vocabula anapaestica versibus iambicis insereret a iambica mensura non abhorrentia, recte existimare mihi videor de artificiis quibus artem variare et condire Horatius solet. nam Horatium non ex eis fuisse qui *φιλέω ἐρέειν* vere anapaestica esse putarent, ipsa illa *laqueo inferius positos* ab ipso electa vocabula persuadent.

Haec et talia consideranda erunt si quis accuratius exponere volet quibus modis vel res vel animos vel numeros Archilochi Horatius secutus sit.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0021062340

